

**839.** Modus eundi et redeundi in medium aut ad latus Altaris sub num. 707 et 713 indicatus, observatur quoties eundum aut redeundum est; ita tamen, ut si e medio, Celebrans primum osculatur Altare vel aliam praescriptam actionem praemittit, et postea genuflectit: si vero ab alterutro latere in medium redit, primum genuflectit et postea osculatur Altare vel aliam praescriptam actionem facit.

**840.** Capitis inclinationes, quae ordinario versus Crucem fiunt, in hac Missa SS<sup>m</sup>o Sacramento exhibentur.

**841.** Ad lotionem manuum, postquam genuflexerit, in cornu Epistolae per gradus laterales descendit in secundum gradum lateralem vel in planum iuxta consuetudinem<sup>1</sup>, et tergo non SS<sup>m</sup>o Sacramento, sed dextrorsum cornu Epistolae dato, manus lavat, gradus in eodem loco ascendit, more et loco solito Psalmum terminat, in medium Altaris redit, genuflectit, Orationem *Suscipe S. Trinitas* dicit, qua dicta Altare osculatur, genuflectit, dextrorsum ad Altare versus populum *Orate fratres* dicit, et per eandem viam ad Altare se convertit, iterumque genuflectit.

**842.** Celebrans postquam digitos abluerit et absterserit, dum recitat Psalmum *Lavabo*, aliquantulum ad SS. Sacramentum se vertat.

**843.** Ad *Sanctus* et Elevationem non datur signum tintinnabulo<sup>2</sup>, quod etiam in Missis, quae tempore expositionis in aliis Altaribus dicuntur, observatur<sup>3</sup>. Sumpta purificatione remanet in medio Altari ibique stans versus

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Nov. 1831, in una Marsorum ad 52.

<sup>2</sup> Merat. in Gavant., p. 2, t. 14, n. 21.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 31 Aug. 1867.

SS. Sacramentum digitos abluit<sup>1</sup>, quibus abstersis abluitionem haurit Calicemque de more componit.

**844.** Post *Placeat tibi* etc. Altare osculatur, more solito dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, quin tamen caput inclinet, dein genuflectit, ad populum se vertit ut dictum est num. 836, benedictionem impertit, per eandem viam et non per gyrum ad Altare se convertit, sine genuflexione ad cornu Evangelii vadit et ultimum Evangelium dicit aut legit, signans librum aut tabelam, ac se ipsum signo Crucis, non autem Altare.

**845.** Ad *Et Verbum caro factum est*, se vertit aliquantulum versus SS<sup>m</sup>um Sacramentum, quod semper observetur, si in cornu Altaris genuflectendum est<sup>2</sup>.

**846.** Dicto Evangelio, in medium vadit, genuflectit, Calicem apprehendit, sine nova genuflexione descendit in planum, ibique usque ad terram (in plano) utroque genu genuflectit, caput profunde inclinat, surgit et in Sacristiam redit, caput non operiens priusquam extra conspectum SS<sup>m</sup>i Sacramenti fuerit.

**847.** SS<sup>m</sup>um Sacramentum sive in Pyxide, sive in Ostensorio expositum sit, in utroque casu eadem caeremoniae servandae sunt.

#### § IV. — De Missa privata coram Praelatis.

**848.** In Missa coram Praelatis, quo nomine hic intelliguntur Cardinales ubique terrarum, Nuntii et Legati Sedis Apostolicae in suis Legationibus, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in suis respectivis Districtibus,

<sup>1</sup> Baseldus, p. 4, c. 9, a. 11, n. 12.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 7 Maii 1746, ad 9: et 22 Decemb. 1753.

Abbatibus Nullius in propriis Ecclesiis, comprehensis Ecclesiis Regularium etiam exemptorum, sequentia veniunt servanda.

849. Ante Altare ubi SSimum Sacramentum asservatur et ante illud, in quo Praelatus Missae intererit, praeparatur faldistorium vel genuflexorium stratum, pulvillis coopertum, et in abaco prope Altare, in quo Missa celebranda est, tabella pacis velo serico aut lineo cooperta, coloris paramentorum conformis, si habeatur.

850. Si Praelatus iam ante Altare genuflectat, Celebrans cum Calice ad Altare venit, et transiens ante Praelatum eidem capite cooperto se inclinatur, in planum Altaris aliquantulum ad cornu Evangelii, ne terga vertat Praelato, caput detegit, genuflectit aut reverentiam ad ipsum Altare facit, Altare ascendit ac reliqua de more perficit. Facta Cruci reverentia, in planum ad cornu Evangelii descendit, Praelatum profunda inclinatione salutatur, et aliquantulum ad Altare conversus Missam inchoat, praemissa Cruci aut SSimo Sacramento debita reverentia.

851. Si Celebrans ante adventum Praelati ad Altare accedat, quod convenientius est, et fieri deberet, more solito accedit; Calicem et librum praeparat, a latere Evangelii descendit de Altari, per suam dexteram se vertit et conversa facie ad cornu Epistolae Praelatum exspectat. Quodsi ille ad genuflexorium venerit, et signum incipiendi Missam dederit, profunde versus eum se inclinatur, ad Altare genuflexione, si adsit SS. Sacramentum, si non, inclinatione se convertit, et Missam incipit, ut num. praecedenti.

852. In Confessione non dicit *vobis fratres* et *vos fratres*, sed ad Praelatum conversus *Tibi Pater* et *Te*

*Pater*, sine additione *Reverendissime Pater*. Quodsi plures adsint Praelati eiusdem gradus seu dignitatis, dicit *Vobis Patres* et *Vos Patres*<sup>1</sup>.

853. Post *Oremus*, priusquam Altare ascendat, profunde se inclinatur Praelato, accedit in plano ad medium Altaris, ibi incipit *Aufer a nobis*, Altare ascendit et *Introitum* more solito dicit.

854. Celebrans in fine Evangelii non osculatur librum, nec dicit *Per evangelica dicta* etc., sed aut per Capellanum Praelati aut per Ministrum cotta indutum illum Praelato deferri facit, qui illum osculatur et dicit *Per evangelica dicta* etc. Postea Celebrans ipsi Praelato reverentiam facit et Missam prosequitur.

855. Si plures adsint Praelati, solus dignior librum osculatur: si aequales, nullus, ne quidem Celebrans.

856. Praelatus, qui Missae privatae assistit, non benedicit aquam ad Offertorium sicut in Missa solemnibus.

857. Dicta prima Oratione post *Agnus Dei*, Celebrans osculatur Altare, et ad Ministrum in cornu Epistolae genuflexum conversus, qui tabellam pacis ad deosculandam ei porrigit, dicit *Pax tecum*, cui ille respondet *Et cum spiritu tuo*. Et dum Celebrans Missam prosequitur, Minister tabellam pacis panno serico connectam Praelato seu Praelatis deosculandam porrigit, dicens unicuique *Pax tecum*, cui omnes respondent *Et cum spiritu tuo*.

858. Dicto in fine Missae more solito *Benedicat vos omnipotens Deus*, Celebrans se vertit ad Praelatum, profunde se inclinatur versus eum, quasi ab ipso veniam

<sup>1</sup> Caerem. Episcop. I. II, c. VIII, n. 31; et S. Rit. C. 2 Septemb. 1597.

benedicendi petens, deinde benedictionem populo impertietur ex illa parte, quae directe ad Praelatum non vergit.

859. Finito Evangelio stans in eodem cornu ad Praelatum se vertit, profunde inclinatur et stans permanet, usque dum Praelatus abierit; dein more solito descendit de Altari et in Sacristiam redit. Si vero Praelatus in loco suo moratur longius, Celebrans ad medium revertens accipit Calicem, descendit more solito de Altari, et facta Cruci reverentia vel SSmo genuflexione, et capite operto ad Sacristiam redit, caput inclinando Praelato in transitu.

860. Celebrans, si coram Praelatis num. 848 nominatis (Cardinalibus semper exceptis) extra eorum Legationem, Dioecesim, etc. Missam dicat, illam dicit ac si praesentes non fuissent, excepto quod in transitu, accessu et recessu, capite tamen cooperto, eos inclinatione capitis reveretur, et instrumentum pacis osculandum eis deferri faciat.

861. Si quis servitio alicuius Episcopi sit addictus, et coram eo extra Dioecesim in Oratorio privato, ubi cum sola familia assistit, Missam dicit: tunc omnia observanda sunt sicut in propria sua Dioecesi, et in Canone Missae ipsius nomen et non nomen Episcopi loci est proferendum.

862. Si coram Summo Pontifice quis Missam celebret, omnia observet, quae sub num. 850 et seq. dicta sunt, ea tamen differentia, quod priusquam Missam incipiat, genuflexus ab ipso petat benedictionem, et quod in Confessione, ad verba *Tibi Pater* et *Te Pater*, ad ipsum conversus unico genu genuflectat. Item antequam Altare ascendat post Confessionem, antequam populo

benedicat in fine Missae, et demum post ultimum Evangelium, dum descendit et in Sacristiam redit.

863. Quae servantur coram Praelatis extraneis, servantur etiam coram Principibus catholicis. Ipsi, non autem mulieribus, etiamsi regnantibus, defertur Missale, non vero illud, quo utitur et quod osculatur ipse Celebrans, ad deosculandum initium Evangelii Missae, et instrumentum pacis. Confessio ante Missam fit in medio Altaris et non in cornu Evangelii, reverentias adversus eos non adhibet Celebrans, cui dicendum est *vobis fratres et vos fratres* et ante benedictionem in fine Missae non fit inclinatio. Ipsi tamen, et Dominis loci aut Magistratui, in accessu ad Altare et in recessu debentur capitis reverentiae.

#### § V. — De Missa privata Ministri Generalis.

864. Quum Minister Generalis Missam privatam est celebraturus, vestimenta sint aliquantulum meliora et varientur ratione maioris minorisve festivitatis.

865. Aderit saltem diebus festivis, alicuius functionis particularis, et tempore sacrae Visitationis pastoralis (Vid. n. 1080 et seq.), Sacerdos assistens superpelliceo absque Stola<sup>1</sup> indutus, cum duobus Clericis cottis indutis. Super Altare ardeant quatuor candelae, et pro Missa adhibeantur palmatoria et bacile<sup>2</sup>.

866. In accessu ad Altare praecedunt duo Clerici, sequitur Assistens, et ultimo loco ipse Celebrans; et eodem ordine finita Missa ad Sacrarium redeunt.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Martii 1836, in Valentinis.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 14 Maii 1890, in una Ord. nostri.